

fuiſſet docere, non cauere. Quid? ſi quis ex ſacris noſtris oratoribus auditores ſuos de nefariis illis ritibus, qui remotiſſimis quidem gentibus uſitati, noſtris autem hominibus ignoti, inſoliti et inauditi plane ſunt, reprehenderet? Num ex ſapientiae regulis agere illum affirmares?

§. IX. Haec ſententia III. apoſtoliſ id tribuit, quod tribui omnino nec debet, nec poteſt. Sumitur enim, eos polygamiam toleraſſe, ſaltem in iis, qui ante conuerſionem ſuam vna plures foeminas matrimonio ſibi iunxerant. Iam antea §. 7. diximus, polygamiam illis temporibus ita vulgarem, ac vulgo quidem putatur, non fuiſſe. Sed eſto, fuiſſe inter Iudaeos, Graecos et Romanos, qui eam exercuerint: exercuerunt eam tamen ſine dubio ditiores tantum et opulentiores, ex quibus cum, Paulo teſte, non admodum multi, priſtinis ſacris ſuis miſſis, ad Chriſtianorum religionem accederent, 1 Cor. I. 26. 27. 28.; quaestiōni huic: *Vtrum ferendi ſint et tolerandi polygami, nec ne?* non admodum frequens inter Chriſtianos erat locus. Rariſſimum eſt polygamiae deſiderium et exercitium illis, quibus curta domi eſt ſupellex. Sed quantuſcunque etiam illorum fuerit numerus, qui, antequam Chriſtianorum amplectebantur religionem, plurimum foeminarum matrimonium inierant, animum tamen inducere non poſſum, vt credam, fieri potuiſſe, vt apoſtoli, vel tacendo, eiſmodi hominibus permiferint, vt in ſtatu adeo illegitimo, immo vero et rationi et declaratae per ſacrum codicem voluntati diuinae adeo aduerſanti, qualis polygamia eſt, ſecuri perſeuerent. Seruator noſter diuinum matrimonii inſtitutum ab omnibus erroribus, corruptelis et inquinamentis hominum purgauerat. Inter alia claris et diſertis verbis, vnum tantum virum, vnamque foeminam in eodem matrimonio viuere vna debere, affirmauerat. Matth. XIX. Num fieri poterat, vt apoſtoli ipſius omnem rei huius memoriam ita exuerent, vt hominibus ſuis aliquid permitterent et concederent, quod cum inſtituto, ſcopo et mandato diuino non poterat non conſigere. *Timos*, ex ſententia Pauli, Ebr. XIII. 4. eſſe debet *ὁ γαμος*.